

gari ferox ille canis potuit, sed ferocior effectus misit eum in carcerem. Miratur hoc S. Chrysostomus, hom. LXII. in c. XVIII. Matth. « Ne verba quidem ipsa veritus est servus, inquit, quibus salutem acquisivit. His enim ipse verbis: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi, decem millium talentorum debitum evitavit. Itane, portum quidem cognovit quo tutatus a naufragio evasit, nec modus ipse supplicationis ad misericordiam domini memoriam eum reduxit. » Porro hujus unius exemplo voluit nobis Dominus exprobrare ferociam et immanitatem multorum hominum, qui humanitatem omnem exuentes, luporum et canum, imo leonum sævitiam induunt atque exerunt erga fratres suos. Plautus dixit: *Hominem homini lupum*, alius etiam: *Dæmonem* esse. Sed parum dixisse videntur. Lupus enim mense solum februario homini metuentus est, dæmon signo crucis pelli potest: at hominum ferocia nullo tempore circumscribitur, nullis penæ evitari machinis potest. Unde enim in urbibus mœnia, portæ pensiles et cancelli ex acuminatis ferro trabibus, pomaria, valla, munitiones, fossæ, excubia, nisi ad coercendam hominum ferociam? Bestiæ cum invadere hominem volunt, prius eum signo admonent; canes etiam cum subdole morsum intentant, caudam prius demittunt: at homo in hominem sæpe specie amicitia et improviso irruit. Rursum bestiæ, quando ab hominibus incitantur, ferociiores sunt, quam cum proprio motu sæviunt; quod argumento est majorem esse hominum, quam illarum ferocitatem. Nulla etiam fera in propriam speciem sævit, nisi extrema fame: satiunt autem homines etiam in consanguineos, nulla necessitate, sola sæpe nocendi libidine. Verum quam hæc immanitas offendat Dominum Deum, ex hodierno evangelio possumus colligere, ubi rex audita servi sui tyrannide, revocavit eum: et postquam dire exprobravit ei collatam gratiam: *Iratus tradidit eum tortoribus*, donec redderet ingens debitum, quod jam dimissum ei fuerat. Mirares! Proprias injurias liberalissime remittit Deus: hominum injurias gravissime ulciscitur. Unde hic exclamat D. Chrysostomus, hom. XXVII. in Gen. « Magna et ineffabilis Dei misericordia, cum in se quidem peccatum est, ad nudas tantum preces totum remittit, cum autem in conservum videt crudelem et inhumanum, suam revocat libertatem, monstrans illi reipsa, quod non tam illum quam seipsum offendisset. » Videtur ergo Deus gravius ferre injurias in proximum commissas quam suas; quod etiam ex supplicio Adami et Caini colligi potest. Peccavit Adam in

Deum et tamen non ideo ipse maledicitur, sed *terra in opere ejus*: peccavit Cain in fratrem, et dicitur ei: *Maledictus eris super terram*. Unde istum ne terra quidem voluit sustinere undequaque profugum: illum vero solus expulit paradisi. Quare Chrysostomus, hom. XIX. in Gen. hoc expendens ait: *Quanto majus peccatum hoc (Cain) prævaricatione protoplasti, ex maledictionis varietate scire volenti licet*. Quia etiam audivimus hujus improbi conservos contristatos esse de sævitia illius et retulisse factum hero suo, inde nos docemur parem commiserationem exhibere iis, qui injuste opprimuntur. Non enim dubito eventurum, quod Græcorum sapiens Solon dixit: *Si ob injuriam æque tristarentur, qui non affecti, quam qui affecti sunt, minimum injuriarum fieret*.

VI. Videte, quanti intersit remittere injurias. Nisi enim id præceptum esset et quidem sub lethali peccato, nequaquam rex iratus servo fuisset, nec appellasset eum *nequam*, nec duritiam ei exprobrasset, nec debitum ei replicasset, nec in carcerem misisset, nec tortoribus tradidisset. Omnia hæc ostendunt non esse bonum, sed malum et nequam hominem, qui injurias non remittit, adeoque gehenna dignum. Unde Chrysostomus, loco citato: « Vere, inquit, hic videre licet, quantum malorum sit injuriarum reminisci, quoniam cum decem millia talenta consumpsisset, non vocavit eum malum, sed nunc quia conservo crudelis fuit: Male serve, inquit. » E contra signum hominis boni, imo et prædestinati est, prompto et hilari animo remittere injurias. De primo habemus etiam testimonium Sancti Dionysii, epist. VIII. ad Demophilum, ubi scribit: « Hebræorum tradit historia, Moysen eximia mansuetudinis merito divina amicitia et familiaritate dignatum; ac si quando ipsum divino aspectu excidisse commemorat, non id ei priusquam a mansuetudine defecerit, contigisse describit. Erat enim, inquit, mansuetus valde, atque ideo Dei famulus dicitur, etc. » Nec obscure indicat parabola, quam dure acceptus est servus immisericos a rege, tam suaviter et amice fuisse accipiendum, si remisisset alteri debitum: de secundo habemus testimonium D. Lucæ, qui Act. VII. testatur Beato Stephano oranti pro suis lapidatoribus cælum patuisse, quasi in certissimum judicium decretæ ipsi coronæ, quodque notandum est, in ejusdem rei significationem, ubi descripsit Stephanum orantem pro inimicis, immediate subdit: *Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino*, quasi nihil magis hominem disponat ad beatam requiem, quam orare pro inimicis. Unde Sanctus

Augustinus hoc advertens ait: *Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare*, ser. II. de sanc. et CCXXXVII. de temp. Quare optare quis deberet, multos sibi inimicos, ut haberet quibus remittere, et hoc ipso suorum peccatorum veniam, cælumque obtinere posset; quod hac similitudine declarat Isidorus Clarius, orat. XIII. in Matth. « Fingamus, inquit, liberalissimum quempiam regem, aut principem, qui multos habeat, qui sibi plurimum debeant, qui etiam, cupiens æs alienum, quod aliis deberetur, in tota civitate dissolvi legem promulgaret, ut quicumque suis debitoribus remitterent, gravius exiguumve esset quod deberent, fore ut rex maxima quæque debita illis remitteret. Quicumque vero neminem haberet qui sibi deberet, oportere eum, quidquid deberet regi ad tuncquid persolvere. In hac lege quisquis debitorem nullum habuisset, et multa regi deberet, multo deteriore quam cæteri esset conditione, optaretque aliquos habere, qui sibi quidquam deberent. At hæc ipsa est lex cælestis Patris, qui etiam cupiens habere occasionem ignoscendi, permittit offensiones inter homines accidere, ut omnes debitores aliquos habeamus, quibus remittendum sit, ut possit ipse maxima nobis remittere debita, quæ illi debemus.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Quis iste homo rex rationem ponens? — II. Quis servus debitor decem millia talentorum? — III. Quomodo is remissionem debiti impetravit? — IV. Quomodo rursus incurrit iram domini sui? — V. Quomodo mulctatus hic servus?

THEMA.

Iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus.
Matth. XVIII.

Cum processus judicialis et supplicium publicum de reo aliquo statuitur, solet undequaque populus concurrere, et funesto huic spectaculo magna animi partim attentione, partim trepidatione assistere, omniaque, quæ dicuntur et aguntur, sedulo observare. Ac propterea leges statuunt hujusmodi tragœdias palam et in publico edi, ut inde alii eruditi vel caveant sibi ab hujusmodi sceleribus, vel certe se emendent. Tunc enim solent dicere filii parentes: Vidistis hodie, filii, quid actum sit cum latrone isto? Spectastis ejus carnificinam? Audistis ejus gemitus et preces? Percepistis cantilenam, quam in seipsum dixit ultimis verbis vos exhortans ut ne

ipsum imitemini, sed cane pejus et angue flagitia fugiatis, etc. Hujusmodi tragœdiam exhibet nobis Christus in evangelio hodierno, servum inquam crudelem et latroni non absimilem, qui propterea quod conservum deprecantem audire noluerit, imo et suffocaverit atque in carcerem miserit, traditus est tortoribus æternum cruciandus. Ecce vero Dominus tragicum hoc spectaculum ab oculis nobis ponit, nisi ut nos absterreat ab odio proximorum, quod servum istum perdidit? Vult ergo quodammodo dicere: Videte filii mei, quid actum sit cum servo illo, qui noluit ignoscere. Iratus ei rex est, et tradidit eum carnificibus, ut torquerent eum acerrime, quoadusque redderet debitum; et quia nunquam reddere potuit, torquendus est æternum: *Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, nisi remiseritis unusquisque fratri suo ex cordibus vestris*. Hujus igitur malo vos sapite et discere ignoscere. Quare, auditores, accurramus et nos in theatrum istud et spectemus hanc tragœdiam, omniaque quæ aguntur expendamus ac memoriæ commendemus.

I. Quis est iste homo rex? Resp. esse Christum qui dicitur primo *homo rex*, quia verus homo, interim etiam Rex regum et Dominus dominantium fuit; deinde, quia ad instar hominis principantis egit cum servis suis, humaniter et juste. Ut homo precanti servo misericordiam exhibuit, ut rex vero crudeli justitiæ rigorem. Olim Ægyptii in summo sceptri ciconiam, pietatis: et in imo hippopotamum, (equum fluviale, qui interdum sub aquis, noctu in terra degit) justitiæ typum effingebant: innuere volentes regibus has primas virtutes, fundamentum et finem omnium actionum esse debere, Maiol. tom. III. canic. coll. II.

Secundo, dicitur cœpisse rationem ponere cum servis suis, quod facit in præsentī vita, quoties peccator in se redit, peccata sua agnoscit, conscientiam suam discutit et aperit confessario. Tunc enim mediante illo vel te ipso tamquam iudice tuo (in examine scilicet conscientia) audit Christus et cognoscit rationes tuas, reprehendit debita sua, reprehendit negligentiā et temeritatem; et siquidem agnoveris reatum, ac veniam rogaris cum proposito emendationis et satisfactionis, dicendo: *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi*, absolvit et dimittit te. Itaque hic jam incipit ponere rationes istas, consummabit vero in iudicio particulari, quantum ad singulos: universali, quantum ad omnes attinet. Verum ibi consummatis rationibus non est amplius dimissioni locus. Quisquis ergo veniam invenire vult, præsentis temporis tribunal adeat,

uti monet apostolus, I. Cor. XI. *Quod si nosmetipsos dijudicemus* (Græce *discuteremus et examinarem*, ut si quid peccati inveniamus, mox per contritionem et confessionem expiemus) *non utique judicemur*, in iudicio scilicet divino, ad damnationem. Nobis igitur ipsis capillos nostros peccamus, et vitiorum vermiculos per venatum examinis deprehensos maectemus, ne aliquando iudex vivorum et mortuorum, severus ille tonsor, pectere nos debeat.

Tertio, dicitur oblati illi esse servus debitor quia per gratiam excitantem stimulari ad conversionem peccator, adeoque pœnitentiæ tribunali sisti et offerri debet: quemadmodum et languidus ille ad piscinam non poterat sanari, nisi per aliquem mitteretur in piscinam; unde ait: *Hominem non habeo, ut eum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*, Joan. V. Mittitur autem in piscinam pœnitentiæ et offertur Christo peccator vel a Spiritu s. ducente animam, ut peccatorum suorum magnitudinem agnoscat, et recordetur viarum suarum pessimaram: vel ab angelo custode intus movente vel castigante et impellente ad sui et suorum debitorum cognitionem, et surgendum e vitiorum somno: quo modo angelus Petrum percusso ejus latere excitavit a somno corporali, Act. XII. vel a propria syndæresi, quæ semper ad meliora hominem inclinât, et pro Deo militat: vel a concionatoribus et confessariis, qui exaggerant peccata: vel ab exemplis terrorem incutientibus, uti morte quorundam subita, tristi et mala: quomodo mors doctoris Parisiensis adduxit Christo Brunonem cum sociis: mors Augustæ Franciscum Borgiam Gandiæ ducem ad sectandam vitam religiosam. Omnia hæc ad gratiam excitantem spectant, sine qua ad Christum non veniret peccator, utpote destitutus virtute illa motiva, qua ad cœlum itur. Paralyticus est peccator, et quasi collapsus elephas, qui nisi adjuvetur, surgere non potest.

II. Quis ille servus debitor decem millium talentorum? Resp. esse peccatorum plurimis gravissimis et obstrictum sceleribus. Dicitur hic primo debere decem millia talenta: decem, ob transgressionem decem mandatorum, ut exponit Aug. lib. I. qq. evang. cap. XXV. millia ob multitudinem et repetitionem peccatorum, quasi milles transgressus: talenta, ob gravitatem peccatorum; talentum enim argenti (secundum Vilalpan-dum, Corn. a Lapide et alios) facit tria millia siclorum seu florenorum Brabanticorum, nostratum duo millia. Quantum igitur erit debitum centum talentorum? Quantum mille? Quantum decies mille? Nonne triginta (monetæ nostræ XX.)

millionum? Quis regum, quis imperatorum, tantam numerare summam possit? Attamen hæc forte si non ab uno, saltem a pluribus obtineri queat: verum peccati debitum infinitum est, quia ab offenso Deo, qui est summum et infinitum bonum, gravitatem malitiæ desumit: unde a nulla creatura quibuscumque tandem operibus ex rigore justitiæ compensari potest, nisi per Christi merita infinita. Unde sequitur quod subjicitur, non habere peccatorem unde reddat, suis nimirum viribus; et propterea etiam in inferno citra condignum punitur. Potest quidem peccator debitum hoc contrahere et quidem quovis lethali peccato, sed non ex suo ære solvere, tum quia in peccati statu nullum opus Dei gratum seu meritum facere potest; tum quia opera nostra etiam in gratia facta, finitum tantum valorem habent, desumptum ab operante. Finiti autem ad infinitum nulla est proportio. Bene igitur Psal. LXXVII. dicitur homo: *Spiritus vadens et non rediens*, vadens, inquam, ex se ad peccatum, sed non rediens ex se in Dei gratiam.

Dicitur secundo unus, ad indicandum non esse multos, qui post gravia et crebra peccata redeant ad Deum per veram et sinceram pœnitentiam, ut dimittantur a peccatis. Quod etiam figuratum per piscinam in qua jacebat quidem multitudo languentium (fere incurabilium tantum, ut opinor et colligo ex evangelio) cæcorum, aridorum, claudorum; non tamen sanabatur nisi unus, qui primus descendisset in piscinam, Joan. V. Quid enim hoc aliud denotabat, nisi quod ex multis inveteratis malorum vix unus sanetur, quodque hoc sit quasi miraculum, nec facile contingat alicui, nisi quis magno conatu festinet ad pœnitentiam.

Dicitur tertio venumdari jussus una cum uxore et filiis et omnibus quæ habebat; quia peccatores gravibus assueti vitiis tandem justo Dei iudicio permittuntur sibi ipsis suæque perversæ voluntati, quæ seipsos vendunt quodammodo diabolo et peccatis, eisque locent operas suas, ut nihil fere aliud tractare queant vel meditari nisi voluptates, cupidias, honores, iras, blasphemias, etc. quomodo olim servi Hebræi assueti servituti, seipsos vendebant heris in mancipia ad servilia quævis opera, et herorum non suam voluntatem faciendam. Ita III. Reg. XXI. scribitur rex Achab: *Venumdatus esse sub peccato ut faceret malum*, quia exigentibus suis peccatis traditus est suis malis cupiditatibus, necnon uxori Jezabel, quæ ei plurimorum peccatorum auctrix erat, in mancipium. Quod vero cum uxore et liberis suisque omnibus jussus est venumdari, significat peccatorem talem una cum concupiscentia, quæ est quasi uxor

ejus: necnon cum actibus et operibus suis, quæ sunt quasi filii ejus tradi in servitium peccati, quia: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*, Joann. VIII. vel significat extremam peccatoris calamitatem. Atque ista est venditio hujus sæculi, quam nisi emendet se peccator, sequetur venditio alterius sæculi, in quo in æternum projicietur et diabolo tradetur, redditurus debitum, hoc est, daturus pœnas de omnibus, quibus abusus et vane delectatus est, v. g. uxore, liberis et bonis suis: ac si quidem uxor et liberi peccatorum participes fuerunt, una etiam cum ipsis. Et hanc pœnam hic minari saltem videtur servo Dominus, ut ad pœnitentiam et frugem eum revocet.

III. Quomodo debitor iste remissionem debiti impetravit? Resp. impetrasse tribus mediis. Primo humiliatione, quia procidit ante dominum suum, velut reus veniam delicti petens, atque ita primam pœnitentiæ partem, contritionem exhibens; de quo David Psal. L. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies*. Dolor enim et verecundia ista peccatum tollit, saltem accedente confessione. Sola hæc tristitia, quæ secundum Deum est, et propter peccatum suscipitur, utilis est et proprium peccati remedium, teste D. Chryso. V. ad pop. « Pecunia, ait, si quis mulctatus est; doluit, non emendavit: filium amisit; doluit, non resuscitavit mortuum: contumeliis affectus est; doluit, non revocavit contumeliam: infirmatur; dolet, morbum non aufert, imo auget. At peccavit quis, tristatus est, peccata delevit: nam quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ergo tristitia tantum facta est propter peccatum, a quo nata est, ideo ut tinea ipsum corrodit et absumit. » Non ergo sufficit ad pœnitentiam emendare vitam in melius, ut contendunt novatores, dolor etiam de admissis peccatis requiritur, ut expresse docet S. Aug. I. de pœn. « Ad pœnitentiam agenda, inquit, non sufficit mores immutare in melius, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciatur per contriti cordis sacrificium. »

Secundo, confessione saltem tacita et virtuali, dum nequaquam negat se debitorem, neque excusat aut se defendit, nec se abscondit aut fugit ut Adam, sed actu ipso fatetur debitum et sic mitigat herum. Audiamus hac de re ss. pp. S. Ambros. I. II. de Cain et Abel, c. IX. ait: « Confessio criminis pœnarum compendium est. Inde in judiciis sæcularibus impositi aculeo torquentur negantes, et quædam tangit iudicem miseratio confitentis. Est quædam in peccatis verecundia et pœnitentiæ portio est crimen fateri, non derivare culpam sed recognoscere. Mitigat iudicem pudor reorum: excitat pertinacia negantium. » S. Aug.

in Ps. LXVIII. ait: « Tu factus es peccati tui defensor: quomodo erit Deus liberator? Ut ergo ille sit liberator, tu esto accusator. » S. Bern. ser. I. in f. omnium ss. « Quatuor, inquit, sunt peccandi gradus, primus interior consensus: alter exterior perfectio: tertius consuetudo: quartus peccati excusatio vel defensio: et ad hunc supremum gradum primi homines pervenerunt. Atque hæc quatuor peccati incrementa Job mystice deplorans: Quare, inquit (c. III.) non in vulva mortuus sum: egressus ex utero non statim peri? Cur exceptus sum genibus? Cur lactatus uberibus? Etenim peccatum primo latet in cogitatione, cum prodit in opus, deinde consuetudine firmatur ac roboratur, denique lactatur et nutritur excusatione ac defensione. » Profecto si hic servus debitum negasset, ab hero dimissus non fuisset.

Tertio, satisfactione, dum ait: *Pœnitentiam habeo in me et omnia reddam tibi*. Tametsi vero ex suo peculio non erat solvendo, poterat tamen offerre domino servitia sua et saltem aliquid facere: poterat etiam sperare se a domini bonis juvari posse ad præstandam solutionem. Atque istud est quo peccator satisfacere pro peccatis suis potest, merita Christi videlicet, quæ tribuunt valorem satisfactioni peccatoris, orationi, jejunio, elemosynæ, etc. quibus velut instrumentis applicat sibi meritum Christi. Hac ratione dux Lotharingiæ Ragnerus placavit Deum. Cum enim prius ecclesiastica bona, nullo Dei timore coercitus, sæpius invasisset ac deprædatus esset: tandem pœnitens in se reversus, donatione amplissimi latifundii satisfaciens suæ donationi diploma confecit, quo seipsum redarguens et accusans, vere pœnitentis exemplum posteris reliquit. Subscriptio est: *Ragnerus Lotharingorum dux et prædo, quia Ecclesiam Dei persecutus sum*, Bar. anno Domini 913.

IV. Qua ratione servus iste rursus incurrit iram domini sui? Resp. multiplici ratione. Primo enim, vix egressus a domino suo, statim obliviscitur recentis beneficii, quod utique adhuc ob oculos habebat. Recte dicebat Thomas Morus: *Beneficia pulveri, si quid mali patimur, marmori inscribimus*, apud Stapl. in vita, c. XI. At suum iste creditum marmori inscripserat a conservo repetendum: debitum vero suum, paulo ante remissum, aquæ. Verum in perniciem suam; quasi enim Uriæ litteras in sinu gestavit, quibus ipse condemnaretur.

Secundo, servus in conservum exierit crudelitatem, qui prius a suo rege obtinuerat misericordiam. Hoc est quod exaggerat Eccl. c. XXVIII. *Homo homini reservat iram et a Deo quærit medelam?*

In hominem similem sibi non habet misericordiam : et de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reservat iram et propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro peccatis illius? q. d. si vermis vermi, caro carni, frater fratri non vult ignoscere, quomodo ignosceat Deus homini, creator creaturæ suæ, Dominus servo? At hic pepercit Dominus servo, non parcat ergo servus conseruo? Nonne bestiae etiam ferocissimæ cum in alias omnes pugnent, in suam tamen speciem mites ac benignæ sunt?

Tertio, non vult remittere modicum, imo nec dilationem dare, qui ingenti debito liberalissime exutus fuit. Quid enim denarius respectu talenti? Decem cruciferi respectu trium millium florenorum? Et quid centum denarii respectu decem millium talentorum? Nonne quod est stagnum respectu oceani: quid insula respectu terræ totius? Et tamen vere deprehendimus tales esse injurias, quæ inferuntur nobis, respectu earum quæ in Deum committuntur, si spectemus quam frequenter, quam multis modis quisque in Deum peccet; quanta item Dei, in quem peccatur dignitas; quam multa et multiplicia crebraque ejus in nos beneficia; quam gravia et iniqua, quæ contra omnem naturæ æquitatem delinquimus.

Quarto, non exoratur iisdem verbis et precandi ritu, quibus ipse exoratur regem. Procidens enim et conseruus rogabat eum simili modo: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Seu surdo iste cecinit; cum tamen alter his verbis decem millium talentorum debitum evitarit.

Quinto, ne prorogare quidem vult conseruo tempus ad solvendum debitum, quia injecta manu obtorto collo eum trahit (ut indicat textus Græcus) neque hoc contentus, vinculis etiam ac carere premit ad genua sua accidentem, cum ipse a suo domino nihil simile passus sit. Suffocatur autem proximum qui corde per odium restricto et amaro eum comprimit: item qui preces vel excusationes ejus non audit.

V. Quomodo igitur mulctatus tandem hic servus? Resp. primo, delatum a conservis esse ad dominum et tyrannidis accusatum: *Constristati enim sunt valde et venerunt et narraverunt domino omnia quæ facta fuerant.* Hi vero sunt, primo, angeli, quorum unus dixit Joanni, Apoc. XIX. *Vide ne feceris (hoc est, ne adoraveris me) conservus tuus sum et fratrum tuorum.* Hi enim uti gaudent de nostris bonis, ita suo modo irascuntur et tristantur de peccatis. Narrant vero Deo, tam mala quam bona nostra opera; dum ea Deo representant, ut habemus, Tob. XII. Quandoque etiam vindictam postulant in reprobos, suorum præsertim clientum oppressores, ut in-

dicat Dominus, Matth. XVIII. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, q. d. accusaturi vos, quando qui stant et loquuntur pro suis, uti Zach. I. Secundo, sunt viri s. in Ecclesia, zelo justitiæ præditi; qui cum hujusmodi scelera videre cogantur, nec tamen impedire queant, Deo conqueruntur, uti Elias, III. Reg. XVIII. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel: altaria tua destruxerunt et prophetas tuos occiderunt gladio, Jer. c. XII. Quare via impiorum prosperatur bene est omnibus, qui prævaricantur et inique agunt? David, Ps. CXVIII. *Vidi prævaricantes, et tabescebam.* Et mirum ac horrendum est, Deum dum impiorum scelera audit, magis commoveri ad ultionem, quam dum videt; cavet sibi quisque a justorum querelis et clamoribus.**

Secundo, vocatum esse a domino suo. Vocatur autem per mortem ad rationes alteras reddendas, in quibus non jam misericordiæ, sed justitiæ locus est. Tremenda vocatio! Similis illi, qua e carcere evocatur, vel extrahitur potius, reus ad iudicium et supplicium. Non licet hic effugere, non excusare, non defendere: moriendum est, ad iudicium pergendum est. Quam his sudant morientes! Quam luctantur in hoc agone! Maxime peccatores, qui male sibi conscii repente abripiuntur eum adhuc in bonis dies suos ducerent. Quod indicat parabola, cum ait: *Tunc vocavit illum dominus.* Tunc inquam; quando servus ita occupatus longe alia agitabat et cogitabat. Ita abreptus ad crucem Aman, dum persequitur Mardocheum: Pharaon in abyssum maris, dum Israelem.

Tertio, exprobratione domini sui ita oppressum esse, ut ne verbo respondere posset. « Serve nequam, inquit, cum decem millia talenta consumpsisset, ait Chrys. hom. XXVII. in Gen. non vocavit eum malum, sed nunc quia conseruo crudelis fuit: Male serve, inquit. » Addit: « Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui miserus sum? » q. d. ego rex tibi servo peperci, tu noluisti parcere conseruo: ego tibi omne debitum et quidem ingens dimisi, tu noluisti modicum et tribolare: ego omnino donavi, tu noluisti dilationem dare: ego una eum debito te quoque dimisi, tu vero in conseruum etiam sæviisti, eumque in carcerem misisti: ego paucas preces tuas illico audivi, tu easdem a conseruo tuo audire noluisti: quid ad hæc respondere miser potuit? Ne verbum quidem. Velut enim fulmine ictus, vel bovis instar uno Herculis ictu prostratus fuit.

Quarto, ab irato domino traditum esse tortoribus: *Quoadusque redderet universum debitum.* Quatuor hic tremenda sunt. Primo, ira Dei seu vindicta, duplici ex capite gravissima: primo, quia omnipotentis Dei. Ira Assueri et facies inflammata prostravit reginam Esther in terram: ira Nabuchodonosoris accendit fornacem ignis ad quadraginta novem cubitos, ut in eam mitteret tres pueros; qualis igitur, putatis erit ira Dei? Secundo, quia clementissimi patris; amor enim contemptus fit furor; quam etiam ob causam ira Assueri et Nabuchodonosoris tantopere accensa fuit, quod is a dilecta regina, hic a charis sibi ministris offensum se reputarit. Et quid ergo Deum abjicere in gehennam filios suos tanto pretio emptos, et tradere tortoribus.

Secundo, traditio in manus et voluntatem tortorum, ut pro libidine sua omnitormentorum, ludibriorum et vexationum genere sævire in reum possent. Quinam vero hi tortores nisi demones, teterrimi, robustissimi, infensissimi, plurimi quorum vel unus sufficeret ad torquenda multa hominum millia.

Tertio, repetitio et retractatio prioris debiti, non quidem proprie, quasi prior remissio per sequens peccatum irritetur, sed alio quodam modo; ac primo, quia per peccatum sequens æque fiet reus gehennæ ac fuisti per prius, sicque rursus incurres pœnam, quam evitasti per remissionem. Sed hoc est commune omnibus peccatis. Secundo, quia si post beneficium remissionis iterum pecces, propter ingratitude-

gravius delinques, graviusque punieris. Sic Ecclesia servum a se manumissum, si ab eo accusetur, revocare in servitutem potest, c. episcopus XII. q. II. sic ob ingratitude revocantur donationes factæ. Tertio, speciatim quoad propositum, delicta repugnantia principio remissionis, faciunt quodammodo redire pejora delicta, quia efficiunt ut tibi remitti nequeat, qui remissionis formam evertisti, dum alteri non remisisti. Talia sunt odium fratris, invidentia fraternæ gratiæ, hæresis, apostasia, quæ beneficio remissionis directe quasi opponuntur.

Quarto, detentio in tormentis perpetua. Unde enim tantum debitum captivus solvere aliquando posset? Et in inferno uti non est locus gratiæ et merito, ita nec remissio. Ergo qualem se exhibuit servus conseruo, talem se illi exhibebit ibi Deus, durum scilicet et inexorabilem. Et hoc quod ait Ecclesiast. c. XXVIII. *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit, q. d. nunquam dimittet.* Si enim homo homini reservat iram: *Servans servabit et Deus.* Hoc denique est, quod concludit Dominus: *Sic et Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* *Formidolosa sententia,* inquit Hieronymus: ex qua videtur B. Jacobus desumpsisse illam aliam: *Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.* Sine misericordia namque judicabitur (inquit Augustinus, illam expendens) qui misericordiam non fecit, antequam judicaretur.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

A VINDICTA INFERENDA QUÆ RETRAHERE DEBEANT HOMINEM.

Dei prohibentis vox. — II. Dei exemplum. — III. Dei vindicta. — IV. Honor quem inde reportas. — V. Damnum quod incurris. — VI. Thesaurum quem acquiris.

THEMA.

Sic et Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo ex cordibus vestris.

Matth. XVIII.

Justinianus II. imperator, cum ad Trebellium Bulgarorum regem fugeret in navi, oborta tempestate, in præsentissimum naufragii et submer-

sionis incidit periculum. Sed cum a quodam comite itineris moneretur, ut Deo optimo maximo promitteret omnes injurias inimicis se condonaturum, nec ab ullo pœnas exacturum, a quo læsus esset, acquievit imperator, et promisit; adeoque etiam periculum, sedata tempestate, evasit, et Bulgarorum insuper opera imperio restitutus est. Verum perfidus et ingratus homo non præstitit quod promisit; ideoque tandem meritas pœnas dedit, quando captus a Philippico, securi una cum filio Tiberio percussus est. Refert Zonaras, et ex eo Cuspinianus. Versamur etiam nos, auditores, quamdiu in hoc mundo degimus, in continua tempestate et periculo salutis nostræ æternæ; cum omnes debitores Dei simus, interim vero nesciamus an pro iis satisfacerimus. Quid igitur hic consilii? Unum sugge-